



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Præfatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

TRACTATUS SEPTIMUS.

DE ANGELIS.

A quæst. 50. primæ partis, usque ad 65. & à 106. usque ad 114.

PRÆFATIO.

Orat. 13.
pag. 211.

RERUM ordinem sequimur, Amice Lector, cum post editum de Deo Trino Tractatum, illum qui de Angelis est, damus. In vobis enim SS. Trinitatis veluti excubantes ministros, Dionysius collocat Angelos: imò augustissimum illorum cætum, Trinitatem alteram, gloriosâ plane nomenclaturâ, Nazianzenus appellat. Hactenus Solem, tribus (ut idem Sanctus Doctor loquitur) luminibus glorio- sum, de Deo Vno & Trino disputantes, contemplati sumus; nunc primum in eius micantes radios oculos deflectendo, Angelum rerum omnium creaturarum fastigium meritò inuenimus; quippe qui primum luminis æterni radius exiit, & ut è veteribus quidam, adumbrata lux est, in umbra Divinitatis producta; cuius iterum lucus in umbra, anima rationalis; & in huius etiam umbra, anima sensitiva producitur: sicque continuâ ac successivâ lucis diffusionem, eò debiliore, quò longius à suo fonte se iunct; donec in umbram tandem in formem, scilicet materiam, lucis omnis ac perfectissimæ expertem, desinat.

Ceterum difficilis est, & homine maiorem exigit ea, quam aggredivimur, de Angelis tractatio. Horum sanè laudes facile quisque congerit, dum eos Divina intelligit propiores esse Naturæ, & res inferiores ita superare, ut in sese omnium dignitatem, omnium decora, felici plane compendio complectantur. Latus hic sese aperit dicendi campus, in quo excurrere distat mortalitatis facundia: sunt enim Empyreæ domus purpuratæ Dynastæ, Triadis honorarij, Palatini cælestes, primique luminis administri: magna sunt mentis Dei purissima quadam scintilla, de sempiternillius luminis accensa facibus; nihil terrena concretionis habentes; nihilque prorsus maculosa illius argille, quam in mortalia corpora rerum molitor Deus digessit. Si Philonem audias, aures & oculi Dei existunt! Theologiæ sunt miracula: si Basilium, Cælestes litteræ: si Origenem, Cælorum officinæ: si Damianum, Voces mundi: si Ambrosium, Dei ipsius officinæ: si Tertullianum, & manus, quibus beneficia largitur: si Hilarium consulas, ut eorum compendias panegyrim. Hæc & similia latissime circumfusa sunt spatia, in quibus facile possit excurrere mortalis facundia; sed Angelorum definire naturam, proprietates explorare, & explicare officia, sanè res ardua est. Hoc tamen potissimum habet præ cæteris Scholæ Thomistica, ut Tractatum de Angelis, etsi difficillimum, potiori iure sibi vendicet, quæ præ cæteris Angelicam Doctorem agnoscit. Enim verò quis melius Doctore Angelico noscere potuisset Angelos? Sanè ut in aliis cæteros, ita in hoc de Angelis Tractatu, se ipsum, quia homine maior scripsit, superavit: cuiusquam iniuriâ augustissimum Doctorem Angelici titulum est assecutus Aquinas noscitur, quem ab Ezechiele primum bos mutus, imitio cum studio incumberet, nuncupatus accepit. Etenim quem Prophetæ I. cap. in hac mystica animalium visione, bovem dixerat, post capite 10. Cherubinum dicit; ut mirum sit bovem tam subito transformatum in Cherubinum, aut Cherubinum aliquando bovem fuisse. Sed hæc fecit in Thoma metamorphosis, bovem evassisse in Cherubinum. Socium etiam Aquinatem Angeli agnoverunt, dum zonâ, non solum ut virginitatis præmiò, sed ut eiusdem militiæ cingulò donarunt; adeò ut non tam candidatum Angelorum, quam socium effecerint. Certè agnoscunt se pares, & vel idem societas & consuetudinis, æquum est socias sibi esse invicem cognitos. Quare & tibi polliceri, Amice Lector, & mihi sperare audeo, cæteris hunc de Angelis Tractatum inferiorem non futurum: cum in ipso semper Angelicus Doctor loquatur, & mihi ipsum audire videat, ut Angelum loanni loquentem: Hæc scribere Ecclesiæ.